

O mul arum speculum  
Sperne quæso sæculum  
Virtutes accumula,  
Veri sponsi turmula.

Insistas luctamine  
Diros hostes frangere.  
Te Rex regum adjuvat,  
Qui vel te desiderat.

Ipse tuum animum  
Firmat contra zabalum,  
Ipse post victoriam  
Dabit regni gloriam.

Te decent delicæ,  
Debentur divitiæ,  
Tibi cæli curia  
Servat bona plurima.

Christus parat nuptias  
Miras per delicias,  
Nunc expectes principem  
Te servando virginem.

Interim monilia  
Circumdes nobilia,  
Et exornes faciem  
Mentis purgans aciem.

Christus odit maculas,  
Rugas spernit vetulas,  
Pulchras vult virgunculas,  
Turpes pellit feminas.

Fide cum turturea  
Sponsum istum redama,  
Ut tua formositas  
Fiat perpes claritas.

Vivens sine fraudibus  
Es monenda laudibus,  
Ut consumas optima  
Tui gradus opera.

Ne vacilles dubiâ  
Inter mundi flumina,  
Verus Deus præmia  
Spondet post pericula.

Patere nunc aspera  
Mundi spernens prospera,  
Nunc sis crucis socia  
Regni consors postea.

Per hoc mare naviga  
Sanctitate grava,  
Dum de nave prodeas  
Sion sanctam teneas.

Sion turris cœlica  
Bella tenens acria  
Tibi fiet statio  
Acto vitæ spatium.

Ibi Rex virgineus  
Et Mariæ Filius  
Amplectens te redamet  
A mœrore relevet.

Parvi pendens omnia  
Tentatoris jacula  
Tunc gaudebis pleniter  
Jubilando suaviter.

Stella maris fulgida  
Virgo mater unica  
Te conjunget Filio  
Fœdere perpetuo.

Et me tecum trahere  
Ne cesses precamine  
Ad sponsum dulcissimum  
Virginalem Filium.

Ut tuæ victoriæ  
Tuæ magnæ gloriæ  
Particeps inveniar  
De terrenis eruar.

Vale casta concio  
Mea jubilatio,  
Vivas sine crimine,  
Christum semper dilige.

Si hic liber utilis,  
Tibi delectabilis,  
Non cesses revolvere  
Hunc in tuo pectore.

Ne more struthinio [*f. stru-*  
Surripiat oblivio, *thinio*]  
Et ne viam deseras  
Antequam pervenias

*Ejusdem Herradis ad easdem sorores tetrastichon.* A Meminit Herradis Mabillonius in Annalibus Benedictinis his verbis : « Herradis abbatisa Montis Sanctæ Odiliæ scripsit Latina lingua *Hortum deliciarum* (sic librum ipsius vocant) ac virginibus Montis Sanctæ Odiliæ dicavit. » Vid. Mabillon. *Annal.* tom. II, p. 58, etc.

*Ejusdem ad Christum distychon.*

Esto nostrorum pia merces Christe laborum,  
Nos electorum numerans in sorte tuorum.

CIRCA ANNUM DOMINI MCLXIX

## JOANNES DIACONUS

### NOTITIA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. IV, p. 70)

Joannes diaconus, Romanus, basilicæ Salvatoris patriarchii Lateranensis canonicus, circa ann. 1169 ad Alexandrum III pontificem scripsit *De ecclesia Romana Lateranensi* librum quem præcepto Joannis prioris et fratrum ejusdem ecclesiæ ait se de Sanctis sanctorum ex archivo renovasse. Edidit Mabillonius in appendice ad libellos Ordinis Romani, t. II *Musei Italici*, p. 560-576. — Hic Joannes appellari Junior potest ut distinguatur ab alio cognomine, et quidem scriptore celebri, qui Joannis VIII pontificatu floruit. Fuit et alius Joannes diaconus, sed Neapolitanus, qui librum *De gestis urbis suæ episcoporum* ineunte sæculo sono scripsit.